



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quomodo sententia ferenda sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

vel saltem virtualiter continere absolutionem aut condemnationem, non tamen causam, quæ Judicem movit ad absolvendum vel condemnandum, *juxta c. Sicut 16. h. t.* nisi necessitas præcepti urgeat, prout urget in sententia excommunicationis, *c. 1. De sentent. excommunicati. in 6.* aut diversi effectus, quos sententia parere potest, expressionem causæ requirant.

## §. III.

## Quomodo sententia ferenda sit?

Primo ferenda est sententia partibus litigantibus ad eam audiendam vel trinâ citatione, vel unâ peremptoriâ citationis, cum illi, quorum interest audire iudicatum, debeant esse vel verè vel interpretativè præsentis, quales haberi non possunt, si citati non fuerint, & contumaciter absint, *Clem. Pastoralis 2. h. t.* Nisi factum sit notorium, ita ut Reo nulla defensionis causa competat. *Argu. c. Cum olim 12. juncta Glossâ V. absentis. h. t.* Si tamen legitimè citatus ad audiendam sententiam ex justa quidem, sed Judici ignorata causa absit, tenet quidem sententia, eo absente, lata, retractatur tamen, si legitimè absentia suæ impedimentum postmodum probet, aut probet eam ex alio capite iniquam fuisse, prout sumitur ex *c. Cum Beriboldus 18. h. t.* ut ne reus injustè gravetur.

Secundò ferenda est sententia cum causâ cognitionis, & servatis à jure præscriptis solemnitatibus, *c. Ad probandum 24. juncta Glossâ V. ex alia iusta causa h. t.* ita ut etiam Summus Pontifex in causis decidendis juris ordinem servare debeat

*c. Incausis 19. h. t.* Cæquitate hoc regente, & ad alios Judices redimere exemplo) nisi considerata necessitate vel utilitate dispensativè aliter agendum putet Pontifex, cujus plenitudini nihil obstat jus merè positivum humanum.

Tertiò debet ferri sententia definitivè purè & non sub conditione; per hoc enim si conditio propriè dicta sit facta & extrinseca esset, non definiretur proposita controversia, sed maneret suspensa. Feruntur tamen A. A. ferri quidem eam sub tali conditione non debere, tamen tenere, cum per appellationem in medium corrigi possit.

## §. IV.

De alijs nonnullis conditionibus requisitis ad sententiam, & quomodo ea ferenda sit?

Scripti eam debere, & postea ex scripto ab ipso Judice recitari, & dicendo non stando proferri statutum habetur in *c. Et si 5. h. t. in 6.* (cum ut recitata sententiæ occultari non possit, si scripta non feratur, tum ut ipsi sententia Judici ferenti major reverentia debeat nisi levis tantum & exigui momenti causa foret, inter viles præsertim penitentialis, quæ sine scripto expediuntur, ut fori alia consuetudo esset, quæ observari debet, aut sententia tantum esse interlocutoria; vel in causa notoria, vel personæ sententiam talem ferentes, si vestres essent, aut in dignitate constituta quibus conceditur ob dignitatis prerogativam, ut sententiam in scripto conceptam per alium partibus proferte possint &c.

Debet autem sententia ferri in loco publico